



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCCLXIII. Vestiplica pro domina.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**



## S E R M O.

*Contra, ille suo nomine egisse se dicet: investigasse, laborasse: illud præterea potens est pro illo; non potuisse dominum illum furti agere. Itaque iudex quid pronuntiavit? nimirum mihi furtum esse factum.*

## CCCLXII.

*Invicem pulsatores patrum.*

QUI PATREM PULSAVERIT, MANUS EI INCIDANTUR.  
Duo adolescentes æquales juraverunt, ut alter alterius patrem cederent. ceciderunt. peruntur manus: patres vindicant.

## S E R M O.

*Fuisse duos sodales: patribus ex austero indulgentibus, sæpe coisse ad lusum, frequenter una fuisse. Quodam tempore cum alter ex his serius in convivium venisset, dixisse alterum, Fortasse te, ut solet, ille senex retinuit, sed non feret impune: ego illum verberabo: hunc deinde respondisse, Et ego tuum cadam. Cum alternis verbis jactarentur minæ; & uterque metueret, ne inultum haberet patrem, jurasse in ultionem magis parentum, quam injuriam.*

## CCCLXIII.

*Vestiplica pro domina.*

MALÆ TRACTATIONIS SIT ACTIO. Quidam pauper formosæ maritus, à peregrino vicino negotiatore, ter de stupro uxoris, adjecto pretio appellatus, vestiplicam dominæ habitu misit. Malæ tractationis reus est.

## S E R M O.

*Maritus illo colore defendendus est, ut dicatur fuisse diligens custos pudicitie uxoris: natura quoque sollicitus & sedulus. Cum esset de stupro uxoris appellatus, admiratum tantam peregrini negotiatoris audaciam: cum deinde etiam repetitus, suspicari aliquid etiam de uxore cœpisse, quantum nunc appareat, sue nature potius vitio, quam culpa uxoris. Cum vero tertio quoque instaret adulter, non*

R r

potuisse



potuisse dissimulare suspicionem & sollicitudinem suam: itaque quia putaret aliquid ante cum sua uxore loquutum adulterum per vestiplicam, advocasse illam, & quasisse, num aliquid de adulterio sciret: illam respondisse, innocentem esse dominam, & ne notam quidem negotiatori: denique si dubitas, me uxoris tuae habitu mitte: videro, an possit discernere.

## CCCLXIV.

*Conviciator pauper occisus.*

Pauper ad divitis domum nocte conviciari solebat. Quodam tempore, dives processit, & insanire eum dicens, decem servis imperavit, ut eum domum ducerent. Cum iisdem occisus postero die inventus est. Dives cædis reus est.

## S E R M O.

A parte divitis color ille introduci potest, ut dicatur pauper fuisse factiosus, aut turbulentus: habuisse huiusmodi furoris sui comites, quibus in insidiis dispositis, ipse tantum ad concitandam rixam se ostenderet: ceterum illos in præsidio haberet, si quid forte dives moliretur. Et hoc ipsa rei conditio monstrat: cum sit incredibile pauperem solum, & præterea nocte ad convitium diviti faciendum venisse. Quare enim die tacuit? quare in foro non maledixit? Apparet illum noctem expectasse, quo facilius comites absconderet. Paratum ergo ad rixam cum telo venisse. Divitem nihil tale suspicatum, magis insanire credentem, dedisse qui deducerent. Tunc vero pauperem quasi custodia excanduisse: accessisse & ceteros ejus conscios, qui dum eripere pauperem vellent, rixam concitaverint, & fortasse illum pauperem silentio occiderint, ne postea comprehensus pauper auctores facinoris cogere tur fateri. Et hoc dubie ponendum est: quæ constitutio in reliqua quoque causæ parte servanda est: nihil enim pro certo adfirmare debemus: sed tantum suspicionem iudicum à nobis alio prævertere. Ergo ab illis videri factam eadem, qui adhuc beneficio temporis latent: divitem super damna patrimonii, & tot servorum eadem reum esse.

## CCCLXV.